C rubentes, ſemen racematim, ueluti in atriplice ſylueſtri, ſingulis ramis inſidens: radicem obliquam, multasq; adnaſcentias habentem.

LOCVS.

Paſsim in hortis, alijsq; locis ubi fimum reponitur, naſci ſolet.

TEMPVS.

Iulio menſe potiſsimum floret.

TEMPERAMENTVM.

Hauddubiè in ſecundo refrigerat ordine, non ſecus atque Solanum hortenſe.

VIRES.

Suibus exitium affert herba hæc comeſta, id quod experientia cognitum eſt. In humano corpore idem poteſt quod Solanum hortenſe. Quare facultates eiuſdem ſuo quæres loco.

DE PETROSELINO. CAP. CCLIII.

NOMINA.

Apium ſaxatile.

Officinarum erratum.

PETROΣEAINON Græcis, Apium ſaxatile Latinis, & Petroſelinum appellatur. Germanicè frembder Peterſilien nominari commodè, ad alterius quod Oreoſelinum eſt, ut ſuo diximus loco, differentiam, poteſt. Officinæ eius herbæ cuius nunc picturam damus ſemine pro Amomo utuntur, non tamen ſine magno errore, quum conſtet omnibus, modò conferre inter ſe utriuſque hiſtoriam non pigeat, Amomum ab ea herba eſſe diuerſiſsimum. Nos ut tandem ſciremus è qua ſtirpe ſemen hoc decerperetur, terræ illud mandauimus, & hæc cuius pictura formã oſtendit herba erupit, quam nos uerum eſſe Petroſelinum, ut paulò pòſt oſtendemus, credimus.

D

FORMA.

Dioſcorides negligentiæ inſimulatur.

Petroſelinum, inquit Dioſcorides, ſemen Ammi ſimile obtinet: odoratius tamen, acre, & aroma olens. Breuis quidem deliniatio hæc eſt, atque imperfecta, ut nihil mirum ſit, nos hactenus quod uerum eſſet Petroſelinum non potuiſſe cognoſcere. Meritò itaque hoc loco, ut compluribus etiam alijs, Dioſcorides negligentiæ inſimulari poteſt, ut qui mancas ac mutilas pleraſq; poſteritati relinquere ſtirpium hiſtorias uoluerit. Si uerò quiſpiam paucas etiam has notas expendat, hauddubiè herbam hanc cuius picturam oculis ſubiecimus, Petroſelinum eſſe comperiet. Semen enim eius Ammi tam ſimile eſt, ut ab eo uix diſcerni queat: odoratius etiam exiſtit, & acre, ac aroma olet. In ſumma, nulla eſt nota quę illi nõ reſpondeat, ut hoc nomine uerum Petroſelinum eſſe credam. Quinetiam tota eius herbæ forma, quæ non multum à noſtro & Germanico Petroſelino abeſt, atque odor, Selini ſpeciem eſſe docent, ut pro Petroſelino uſurpare hanc ipſam officinæ tutò poſsint: ſemen enim quo hodie utuntur, non Macedonicum Petroſelinum, ſed Hippoſelinum, ut ſuo diximus loco, exiſtit.

LOCVS.

In Macedonia frequens optimumq; naſcitur, hinc Macedonicũ dicitur: inq; ſaxis & præruptis potiſsimũ locis, unde cœpit appellari Petroſelinũ. Naſcitur & alijs in locis, ut lib. i. de antidotis teſtatur Galenus, at minus laudatum.

TEMPVS.

Floret Auguſto menſe, atque ſubinde ſemen profert.

TEMPERAMENTVM.

Petroſelinum ut guſtu acre eſt cum amaritudine, ſic & in operibus calidũ. Fuerit itaq; & ipſum tertij ordinis tum excalfacientium, tum deſiccantium.

VIRES.

PETROSELINVM

Frembder Peterſilien